

consignaturum illud argentum persone, cui ego mandarem consignari; nominavi personam videlicet d. Petrum de Militibus canonicum S. Petri capellanum meum, cui postea ipse dominus Virginius in palatio dixit se iam commisisse secretario suo ut restitueret argentum. Idem meus capellanus fuit cum secretario et non invenit aliquam factam commissionem. Scripsi etiam ad dominum Fabritium et dominam Agnesinam super alio argento; respondit D. Fabritius, se infra octo dies daturum bonum ordinem tali negotio, postea nihil ulterius habui ab eis licet sint elapsi octo dies. Scripsi etiam ad D^{nem} Vestram Rev^{ma}, quemadmodum mandavi Johanni Donati, ut venderet granum et exigeret a debitoribus alios introitus tenute Vici quam citius fieri posset cum omni diligentia, quod feci bono respectu. Item ante adventum dicti parafrenarii scripseram ex S^{to} Silvestro ad S^{mum} Dominum Nostrum super omnibus contentis in litteris D^{nis} V. R^{mae} datis Lugduni VIII Iulii, videlicet super officio penitentiariae, super relaxando sequestro fructum beneficiorum et abbatiarum, super legatione Avinionen. et quod D^o V. R^{ma} posset esse in aliquo beneficiorum suorum cum bona gratia Suae Sanctitatis etc. Respondit se velle bene considerare super praedictis quoniam erant multa capita et bene considerata, et quod postea responderet. Quo responso non habito tandem nisi ad Suam Sanctitatem secretarium meum post adventum parafrenarii et misi litteras, quas D^o V. Rev^{ma} manu propria ad me scripsit, quas postquam Sua Beatitudo legit, mandavit ut responderem iuxta tenorem quem hic mitto interclusum. Volui haec replicare quia sum dubius an D^o V. Rev^{ma} receperit dictas litteras meas. Misi etiam his proximis diebus unum meum fidissimum ad Fosnam novam, cui dedi listam grani et ordeï et aliarum rerum quas spectant ad D. V. Rev^{ma} et mandavi per litteras illi priori ut venderet res praedictas quam citius fieri posset et pro meliori possibili pretio ac consignaret pecunias illi meo. Spero cito me habiturum responsum. Et quoniam nudius tertius intravi Urbem, nondum potui facere verbum S^{mo} Domino nostro de re Andegaven. pro d. Carolo Careto nec de legatione Avinionen. Sed faciam quamprimum. Licet super legatione Avinionen. praeteritis diebus fecerim consignari manibus Suae Sanctitatis litteras consulum Avinionen. super tali negotio, a qua etiam non habui responsum. Diu et felicissime valeat D^o V. Rev^{ma}. Ex Urbe die XXIII septembris MCCCCLXXXIII.

Post script. Feci verbum S^{mo} Domino Nostro super rebus praedictis et etiam super beneficiis reveren. domini Patriarchae germani vestri. Respondit non esse tempus petendi aliquid pro D^{no} V. Rev^{ma} quae est sollicitatrix contra Suam Sanctitatem in istis partibus, et quod vult agere palam contra vos et mandavit mihi, ut id declararem Dⁿⁱ V. Rev^{mae} quae nisi isthinc recedat faciet omne quod poterit contra eam. Si vero recedet et volet stare in aliquo loco Italiae sibi securo et Sanctitati Suae non suspecto, Sua Sanctitas non solum non impediet bona et res D^{nis} V. Rev^{mae}, sed servabit privilegia vestra indulta et cetera et conabitur potius augere quam in aliqua parte minuere aut debilitare. Super quibus rebus quoniam videntur valde tangere eandem decrevi mittere Iohannem praesentium latorem familiarem meum pro maiori efficacia et fide, qui saepe fuit super negotiis D^{nis} V. Rev^{mae} ad pedes Sanctitatis